



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Tractatus VII. De secundo & tertio decalogi Praecepto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



TRACTATUS VII.

DE
SECUNDO ET TERTIO
DECALOGI PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE
JURAMENTO.

CAPUT I.

Juramenti notio, & divisio.

Juramentum assumptio est divini testimonii ad aliquid confirmandum (a). Duplici modo hæc fieri confirmatio potest. 1. Deum simpliciter in testem vocando, ut si dicas: *Deus testis sit: per Deum juro &c.* 2. Deum solummodo

(a) Juramento Deus in testem vocatur, non quidem ut nunc statim quodam miraculo veritatem pandat (hæc enim iniqua Dei tentatio foret); sed tunc, dum abscondita tenebrarum illuminabit, & cordium manifestabit consilia. Valde etiam ab *adjuratione* juramentum differt; quia per hoc Deus testis invocatur; per illam homo, ut ob Dei reverentiam quidquam agat aut omittat, energice admonetur. Ita Apostolus Thessalonicenses admonuit, dum dixit: *Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola mea.* (1. Thessal. 5.)

modo *implicite* invocando; in quantum nempe hic modo speciali in quibusdam creaturis continetur, suamque per eas virtutem exerit, ut si per Evangelium, Crucem, Sanctos, Sacramenta &c. rei assertæ veritatem confirmes. Utrumque intra vel extra judicium; cum vel absque solemnitate fieri potest. *Solemnizatum* juramentum dicitur, dum quis Evangelium, Domini crucem, vel aliam rem sacram tangens coram aliquo gravi viro, aut tota communitate jurans quidquam promittat; hoc modo illi, qui ad Canonicatus, Professuram, aut alias dignitates promoventur, ad servanda statuta &c. jurare debent.

Adhuc quadrifariam juramentum dividitur.

1. In *assertorium*, quo affirmatur, vel negatur res præsens, aut præterita. 2. In *promissorium*, quo confirmatur aliquid agendum, vel omittendum pro futuro. 3. In *contestatorium*, quo Deus simpliciter in testem vocatur, ut: *Deus sit iussor*. 4. In *execratorium*, quo Deus nædum ut veritatis testis, sed & ut falsitatis vindex advocatur, ut: *æternum Deus me puniat, condemnet &c. nisi &c.* Huc etiam illud, quod *comminatorium* vocant, reduci debet.

Duo ad juramentum concurrant oportet.

1. Voluntas saltem virtualis (a) Deum vel expli-

(a) Virtualis jurandi voluntas in eo datur, qui verba juramenti aliunde intelligens temere profert; item qui verba juramenti hic & nunc non advertit; jurandi tamen habitum advertit, quin

plicite, vel implicite in testem vocandi. 2. Verba quæ hanc invocationem vel ex se, vel ex usu & acceptione hominum designant. Si voluntas adsit jurandi, licet hoc verba proprie non significant, pro foro interno verum juramentum erit, quantumvis obligatio ejus in foro externo usque geri non possit: e contra si voluntas jurandi desit, utut verba Dei invocationem significant, juramenti natura non subsistit; propter divinitatem Nominis interpositam auctoritatem, eadem, ac si interna voluntas adesset, in juramento mendaci oritur obligatio; quia alias jurisjurandi periret utilitas, ac infinitis incommodis humana exponeretur societas. Non igitur ex jurantis intentione juramenti, præcipue promissorii, obligatio pendet; sed ex verborum significatione, & accipientis mente; secus, qui vel tantillum ratione pollerent, fallacia juramenta, & fraudes pene infinitas in orbem inveherent.

Sanctum & terribile nomen ejus, ait Psalmista (*Psalm. 110.*): ideo ab hominibus esse venerandum, nec sine sacrilegio frustra assumi potest, aut ad confirmandum mendacium, cum Deus veritas sit. Nonnulli hæretici docuere, nusquam licere nomen Dei in juramentis assumere: sic docebant Pelagiani, (ut scribit sanctus Augustinus *epist. 89. & serm. 28. de verb. Apost.*); & sancti Bernardi tempore Apostolici (*Serm. 66. in Cant.*). Post hos idem docuit Wiclefus,

per apta remedia eundem tollere, aut minnere studeat. Vid. pag. 215.

Wiclefus, a Constantiensi Concilio damnatus: modo vero hunc errorem docent Anabaptistæ. Constat igitur permissum imo si superior jubet, vel proximi caritas exigit, de præcepto esse, Dei nomen interdum jurando assumere; quia Deus sic colitur, & Religionis actus exercetur, essentialem enim veritatem Deum fatemur, cum illum in testem vocamus. Ait Psalmista: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo (Psalm. 62.)*. Idem subjicit: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum (Psalm. 109.)*. In Apocalypsi Angelus juravit per viventem in sæcula sæculorum (Cap. 10.). Et Apostolus inquit: *Testem Deum invoco in animam meam (2. Corinth. 1.) (a)*.

Non expedit tamen juramenti affuescere; ideoque Dei filius ait in Evangelio: *Sit sermo vester, est, est, non, non: quod his abundantius est, a malo est (Matth. 5.)*: idest, juramentum, quod negationi aut affirmationi adjicitur, oritur ex malo pœnæ, cui per peccatum homo subiacet, juxta sancti Augustini interpretationem; cum enim peccando fide indignus homo evaserit, juramento indiget, ut illi fides adhibeatur. Ante
Evan-

(a) Quævis juramenta e Fidelium societate eliminata Quesnellus voluit, cujus proin propositionem num. 101. Clemens XI. damnavit: *Nihil Spiritus Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

Evangelium dixerat Ecclesiasticus: *Juratio non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Vir multum jurans replebitur iniquitate (cap. 23.)* Jurandi consuetudo ad pejerandum paulatim viam sternit; hinc sanctus Augustinus inquit: *Nemo sicut bonum appetat juramentum, ne offi- duitate jurandi ad perjurium consuetudine labo- tur. Qui intelligit non in bonis, sed in neces- riis jurationem esse habendam, refrænet se quantum potest, ut ea non utatur nisi in necessitate, cum videt homines pigros esse ad credendum, quod ut utile est credere, nisi juratione firmetur (lib. 1. de Serm. Domini in monte.)*.

Juramenta, quæ Deum contemnunt, veluti per ventrem, per mortem, per sanguinem, et blasphemiam potius, de qua egimus, quam ad jurationem spectant: non licet vero per Dei creaturas falsa confirmare. Putabant Judæi Juramenta per creaturas nullam afferre obligati- onem; & licite illa usurpari, modo abesse perjurium. Hinc Christus apud sanctum Mar- thæum ait: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus (Cap. 5.)*.

Per falsa numina juramentum prohibetur, quemadmodum & eorum cultus: qui enim per illa jurat, divinum illis honorem tribuit. Ideo legitur in Exodo: *Per nomen externorum Deo- rum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro (Cap. 23.)*.

CAPUT II.

Juramenti conditiones exponuntur.

Ut licitum sit juramentum tria hæc requiruntur; veritas, iudicium, & iustitia, sicut expresse Propheta Jeremias ait: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, iudicio, & iustitia* (cap. 4.).

Iustitia præditum juramentum erit, si res jurata honesta sit, nulliusque in damnum vergat: *Iudicium* illi accedet, si maturo, ac discreto præmisso examine sit factum, si gravi ex causa, ac urgente necessitate eodem veritas stabilietur: unde qui pro re levi jurat jam venialiter, jam mortaliter peccat juxta Dei contemptum, cujus nomen jurando usurpatur, vel juxta periculum jurandi falsum.

Triplex hic spectari *veritas* potest. Prima est, cum rem, sicuti est, enunciamus. Secunda, cum rem enunciamus, sicuti esse credimus. Tertia, cum res revera est, sicut dicitur, & creditur. Hinc tria sunt falsitatis genera; primum, cum dictum non est rei conforme; secundum, cum dictum cognitioni loquentis non est conforme, licet verum revera sit; tertium, cum dictum neque veritati, neque cogitationi est conforme.

Veritas juramento necessaria est, rem dicere sicut esse puratur: ille vero falsum jurat, qui contra opinionem suam jurat, licet res forsitan in se vera sit; estque hoc juramentum grave peccatum,

catum, quamvis nullum inde damnum sequatur, juxta Martini V. Bullam: nullo etenim pacto juramentum exulari potest, quo mendacium confirmatur. Qui autem falsum juraret, verum se dicere putans, venialiter solum peccaret: nisi forte ad veritatem cognoscendam debitam non adhibuerit diligentiam: vel de rei veritate non falsitate dubitaret; aut jurare paratus esset, etiamsi falsam rem esse sciret; hisce enim casibus jurans mortaliter peccaret (a).

Observandum est teneri nos non solum juramentum propriam conscientiam jurare, sed etiam juramentum mentem illius, coram quo juramus; præterea teneri nos uti verbis juxta communem significationem, juxta quam ab audiente accipiuntur, & ab omni æquivoco abstinere. Pessima circa æquivoca novissimis hisce temporibus ad depravandam christianam Moralem doctrinam irrepsit, qua Evangelii puritas corrumpitur, & a civili societate bona fides eliminatur. Ad cogitationes suas explicandas sermone uti debent homines: qui autem verbis mentem suam celat, natura hic est injurius (b). Verum de hoc argumento singulatim infra agemus.

(a) Inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas numero 24. ista venit: *Vocare Deum in testimonium mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit hominem damnare.*

(b) Pestiferum amphibologiæ, & mentalis restrictionis usum ut a juramentis idem Pontifex arceret, sequentes propositiones proscripsit: Si quis

Mercatoribus non licet æquivocis, aut contra communem significationem verbis jurando uti, ut merces suas vendant: quod si faciant, graviter peccant, scientes enim & volentes jurant, & ementem decipiunt.

Cum ante judicem juratur, qui jure juramentum exigit, & juridice petit, juxta ejus mentem jurare oportet, etiamsi vita esset amittenda.

Non solus falso jurans mortaliter peccat; sed & homines illi privati, qui ansam eidem jurandi dant, aut ab eo juramentum exigunt, quem falso juraturum sciunt: ita quidem divus Thomas docet (2. 2. qu. 98. art. 4.).

Novus Casuista ait, licitum esse aliquem impellere ad rem falsam jurandam, quam ex igno-

quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. num. 26. Item: Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. num. 27. Item: Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. num. 28.

ignorantia veram credit; hoc enim casu ad rem formaliter malam non impellitur, cum jurando ipse non peccet. Si quid hæc ratio valeret, liceret ad hostem suum interficiendum furiosum opera uti, qui propter amentiam suam occidendo non peccaret.

Neque licet illum ad jurandum impellere quem falsum juraturum putamus; neque quam efficit exceptio, quam idem Auctor assertummodo videlicet eum non rogemus, ut falsum juret; idem enim est in proposito casu hominem rogare, ut juvet, ac rogare, ut pejoret. Eandem alius doctrinam tradit, additque licere, si quædam serventur circumstantiæ quarum præcipua est, si de negotio aliquo agatur, & justa adsit ratio hoc juramentum petendi, veluti si id postulet negotii gravitas, aut loci alicujus spes. Verum hoc pacto proximi falsis suis commodis postponitur: quod sine peccato fieri posse quis asserat? Si dicas, nos ex caritate non teneri hoc vitare peccatum, cum grave aliquod damnum inde timemus; nonne caritatis naturam destruis, quæ ad vitam pro salute proximi impendendam nos impellit? Tu vero pro temporali emolumento hanc in discrimen adducis. (a).

Eadem
(a) Ut quis exactum ab ipso licite acceptare juramentum extrajudiciale possit, *moralem de re assertæ veritate certitudinem habeat necessum est; quia alias perjurii periculo se exponeret; ut autem juramentum judiciale secure ac juste præ-*

Juramenti conditiones exponuntur. 577

Eadem in *promissorio* juramento sunt servanda, nempe veritas, justitia, & necessitas. Hinc qui id se facturum jurat, quod exequi non intendit, graviter peccat, quidquid juret, & quocumque sine juret; nam Dei nomine abutitur ad testandum mendacium. Qui aliquod veniale peccatum facturum se jurat, illudque facere intendit, venialiter solum peccat; mortaliter autem peccaret, si id facere non intendere, quia contra veritatem juraret.

Si vero juramenti materia mala est, id est peccato obnoxia, aut quæ sine peccato exequi nequeat, eam exequi non tenemur; imo peccaret qui eam exequeretur, cum mala sit. Hinc temere juravit Herodes, se Herodiadi quidquid peteret daturum; & detestabile crimen patravit, cum Joanni caput amputari jussit, ut promissa servaret.

Neque juramentum servare tenemur, quod majus bonum impedit; tunc enim illius materia nulla est; veluti si quis eleemosynam juret se non daturum, aut aliquod evangelicum consilium se non executurum.

Idem

stet, *experimentalem* sive per visum sive per aurium rei quæsitæ notitiam habeat, oportet. Ita statuitur in Jure (3. Quæst. 9. can. Testes.) ibi: *Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant; sed præsentibus de his, quæ noverunt, & viderunt veraciter testimonium dicant. Nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi de his, quæ sub præsentia eorum acta sunt.*

Godeau Theol. Mor. Pars I.

00

Idem dicito, si juramenti materia sit indifferentis; talisque maneat; neque enim vult Deus homines obligare ad id præstandum, quod ex se vanum est, & inutile. Hinc fieri potest, ut mercator, qui nisi certo pretio merces suas se venditurum juravit, juramentum servare non teneatur; quemadmodum fieri potest, ut neque ille juramento sit obstrictus, qui se cum aliquo aut alicubi non lusurum juravit, nisi persona illa, aut locus peccandi occasionem illi præbeat; tunc enim juramentum servare teneretur, cum jam materia non sit indifferentis.

Si quis promissorium juramentum emisisset absque jurandi intentione, docent novi Casuiste rem juratam hunc non teneri præstare, cum nullum adfuerit juramentum. Verum explosenda est hæc doctrina, quæ bonam fidem evertit, & civile commercium destruit. Ajunt illum, qui sine promittendi intentione promissit, si interrogetur, an promiserit, posse negative respondere, & responsioni juramentum addere, si dicere intendat se non promississe obligatoria promissione. Sic fraus & dolus nova fraude tegitur, & peccatum peccato additur, sic humana societas, fidesque evertitur; nemo enim alteri fidei unquam posset, si obligatio standi promissis ex secreta intentione penderet faciendi vel non faciendi promissa, quæ intentio cognosci non posset (a).

Plures

(a) Qui juramentum exterius proferret absque jurandi intentione, seu cum interna non jurandi intentione.

Plures jurandi formulas Casuista quidam affert, veluti: *Ita hoc verum est, sicut ego Christianus, Presbyter, Religiosus sum: Si hoc non verum est, in Deum ego non credo: Hoc ita verum est, ut Evangelium: Coram Deo hoc verum est: Deus hoc ita esse videt &c.*, & contendit has loquendi formulas non esse juramenta. Sed sancto Augustino id repugnat, qui has vera esse juramenta asserit. Et sane, si non sint hæc verba juramenta, quæ demum erunt? Dicere autem, verba hæc esse æquivoca, ac proinde posse ut juramenta accipi, & non accipi, idem est ac hominibus illudere; qui enim vel tantillum ratione pollent, perjuriam, falsa juramenta, & fraudes in orbem terrarum hac via invehi clare perspicient.

At si ex metu aut vi emissum esset juramentum; exempli gratia, si quis latroni pecuniæ vim promississet, ut ex ejus manibus elaberetur, non conveniunt Doctores, an hic promissis stare teneatur. Plures asserunt standum esse promissis,

tentione etsi verum juramentum juxta dicta non deponeret, ne tamen commodum ex sua iniquitate reportet, propter divini nominis reverentiam exterius serio interpositam, non secus, ac si interna intentio accessisset, ad præstandam promissionem pro foro etiam interno obligatur; quia alias omnis juramenti supervacaneus usus foret. Grave quoque ipso fallaci juramento peccatum committeretur. Hinc Innocentius XI. hanc num. 25. damnavit propositionem: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi sive res sit levis, sive gravis.*

lis, ne Dei nomen frustra videatur assumptum: alii docent jusjurandum non obligare, cum non liberum, sed extortum fuerit, neque ex iustitia teneri jurantem promissa exequi, & pecuniam solvere (a).

Si quis captivus esset in bello, aut propter aë alienum inclusus esset in carcere, teneatur propter juramentum in carcerem & in captivitatem redire, etsi vita periclitaretur. Regum inter Romanos exemplum, qui ad Carthaginienses rediit, a quibus crudeliter est interemptus, summam meretur admirationem, & milis monet.

(a) Iniquo exactori non quidem ex iustitia; sed ex jurisjurandi religione (nisi petita, & impetrata relaxatio fuerit) promissam summam solvere tenemur. Juramentum enim ex gravi metu factum eo ipso quia adhuc voluntarium jure naturali validum est; jure autem positivo nullum irritatur, sicuti tamen irrita declarantur non gravi ex metu emissa. Unde Alexander III. ait: *Non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ* (cap. *Si vero. de Jur. rejurando.*); ubi additur, quod ad coercendam iniquitatem eorum, qui sic jurare coegerunt, in Ecclesia sæpe hujusmodi relaxentur juramenta. Et divus Thomas docet, ex metu gravi juramentum non quidem homini, sed Deo obligari ad præstandum id, quod per illius Nomen promissum (2. 2. Quæst. 89. art. 7. ad 3.). Ubi addit: *Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante, quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in detrimen- tum exitum, esset enim contra iustitiam publicam.*

Juramenti conditiones exponuntur. 581

monet, ut fidem servent, quam revera honesti viri omnino servant.

Si in juramento error aut fraus intervenit, id est quando jurans errorem non agnovit, neque de eo dubitavit, juramentum non obligat; tunc enim juramentum est veluti conditionatum. Exempli gratia, centum nummos quis pro adamante cum juramento promisit, quem verum putavit: si falsus est adamas, non tenetur promissor hanc summam solvere.

Quoad *comminatorium* juramentum, si justa est pena, quam jurans minatur; veluti si Praeceptor discipulum a se puniendum minetur ex correctionis & justitiæ zelo, quod juravit tenetur implere: ni faciat, Deum mendacii testem adhibet, cum justitia, cæteræque juramenti conditiones adsint. Verum si quis alteri injustum malum minetur, veluti capitis amputationem, non tenetur, quod juravit exequi, & exequendo peccat, quia contra justitiam juravit. Idem de juramento dicendum, quod ex ira provenit; hoc enim non est penitus voluntarium. Si mutetur ratio, propter quam quis juravit; exempli gratia, si ille, cui malum minamur, peccatum suum detestatur & corrigit, veniamque exorat, si inutile aut perniciosum futurum supplicium novimus, illud exequi non tenemur.

CAPUT III.

*Modi recensentur, quibus juramenti
cessat obligatio.*

Contracta semel juramenti obligatio variis deficiere modis potest. Et quidem *Primo* simplici *cessatione*, dum videlicet 1. materia ex possibili in impossibilem, ex honesta in inhonestam, ex utili aut meliore in nocivam aut saltem inutilem ac indifferentem mutatur, 2. dum alter, cujus gratia juramentum promissorium fecisti, sua adimplere promissa renuit, vel sponte totum remittit.

Secundo. Irritatione facienda ab eo, cui jurans, vel materia jurata specialiter subjicitur. Sic pater filiorum, mariti uxorum, Dominus famulorum, Episcopus suorum Clericorum, & Superior Religiosorum irritare juramenta valent, si hæc circa res suæ potestati subiectas fuerint facta; isthæc enim conditio, *si pater, maritus, Superior &c. consenserit*, in ejusmodi juramentis, ut licita, ac justa sint, saltem implicite involvitur; unde ante horum consensum valida, non tamen firma, sed irritabilia sunt.

Tertio. Dispensatione quam gravi ex causa Papa, vel Episcopus (nisi votum Papæ reservatum juramento sit adnexum) concedere potest. Causæ ob quam concedi dispensatio solet, sunt metus gravis, dolosa inductio, gravis damnificatio

catio &c. aut prudens de juramento, vel ejus materia dubium (a).

Quarto. *Commutatione* dum nempe rationabili ex causa juramenti materiae hic & nunc nimis difficili Superior tamquam Dei vices agens aliam substituit, idque Papæ præprimis competit, & iis, quibus ille committit. At si juramentum in favorem tertii sit factum, & ab eo acceptatum, neque a Papa commutari potest, qui nemini vult obesse. Tres tamen fieri exceptiones possunt. 1. Juramentum commutari potest ob justam tertii pœnam, ut Papa solet, qui ab juramento in favorem excommunicati factum absolvit (15. Quæst. 8. can. *Nos Sanctorum.* & can. *Nos juratos.*). 2. Si juramentum vi, metu aut dolo sit extortum, ne extorquens commodum sua ex iniquitate hauriat in aliud commutari potest. 3. Si bonum commune cum tertii privato concurrat; quia huic illud præferendum est. Unde si cuidam resignare Beneficium sub juramento promisisti, alium magis dignum in commune Ecclesiæ bonum præferre

Episco-

(a) Dispensatio in juramentis fieri potest a Superioribus, qui *ordinariam* in votis dispensandi potestatem habent, quales sunt Episcopi, non autem ab iis, qui *delegata* tantum in votis dispensandi potestate gaudent, quales juxta quosdam Doctores sunt Religiosi mendicantes. Nam juxta stylum Curiae romanæ privilegium dispensandi in votis distinguitur a privilegio dispensandi in juramentis. Ita Antoine pro se citans Navarrum Azorium, Lessium &c.

Episcopus potest. Hæ ipsæ exceptiones in dispensatione valent.

Juramentum quod nullo ex recensitis, modo solvitur, omnino servari debet; unde nædum qui falsum jurat, sed & qui postmodum contra juratam fidem agit, perjurus est, illisque ab Apostolo accensetur, qui exclusi a Regno manent (*Gal. 5.*).



SECTIO II.

DE
VOTO.

CAPUT I.

Voti definitio, & divisio traditur.

Votum est voluntaria Deo facta de bono meliori promissio. Dicitur promissio, quia sola deliberatio non est votum. Dicitur voluntaria, quia vis, & timor abesse debent; & voluntas requiritur, ut bonum faciamus, & Deo sumus obstricti, sicut requiritur, ut malum fiat, & dæmoni obstringamur (a). Deo faciendū est

(a) Ad voti valorem *Jure naturali* ea plena, que ad grave peccatum sufficit, advertentia requiritur: *Jure positivo* perfecta adhuc libertas existitur. Hinc qui ex gravi metu, quem causa libe-

I. *Voti definitio, & divisio traditur.* 585

est hæc promissio; est enim votum actus religionis, quæ directe Deum respicit. Si quando Sanctis vovere dicimur, id ita explicare oportet, quia nempe coram Sanctis vovemus, iisque ut testibus summe verendis utimur, & eorum suffragia apud Deum poscimus, ut exequendi voti gratiam nobis obtineant. Tandem oportet, ut votum sit *de meliori bono*; si quis enim rem malam voveat, vovendo peccat, & ex materiæ defectu votum est irritum. Si rem quis voveat, cujus contraria melior sit, nullum est votum, veluti si quis nubere voveat; cum enim status ecclesiasticus aut religiosus sit matrimonio melior, hoc

ra ad extorquendum votum injuste incussit, quidquam Deo vovet, Juris dispositione nihil agit. De voto *solemni* omnes Doctores conveniunt, idque clare in Decretalibus (Cap. *Perlatum, de his quæ vi &c.*) est decisum. De voto *simplici* Auctores haud ignobiles idem probabilius affirmant, suamque sententiam auctoritate Capituli *Cum dilectus.* (Tit. *cod.*) stabiliunt. Quodsi metus gravis a causa naturali, vel libera juste incutiatur, aut si injuste, non tamen ad extorquendum votum, sed alio ex fine incutiatur, votum valebit; quia ad evitandum aliud grave malum liberrime eligitur. Unde licet invalida sint vota, quæ parentum, consanguineorum minis obtenta; illa tamen, quæ ex metu tempestatum, naufragii, incendii, mortis a latronibus propter bona intentatæ, vel mortis ob crimen a Judice dictatæ fiunt, omnino valent, ac servari debent; nisi metus vehementia rationem adeo turbarit, ut judicii, & advertentiæ induxerit deliquium.

hoc nubendi votum majus bonum impedit, ideoque nec Deo est gratum, nec validum. Idem est dicendum, si res indifferentes quis voveat, sicut de juramento diximus.

Vota alia absoluta sunt, alia conditionata. *Votum absolutum* statim obligat: *conditionatum* tunc obligat, cum adjecta conditio est impleta. Tale fuit Israelitarum votum in Numerorum libro verbis hisce comprehensum: *Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbem ejus* (cap. 31.).

Quaedam vota sunt de rebus *præceptis*; quedam vero de rebus, quæ ad *consilium* spectant, quale fuit in Actis Ananiæ & Saphiræ votum, qui non tenebantur agri sui pretium ad sancti Petri pedes afferre; sed cum votum voverint, & solam pretii medietatem attulerint, Spiritui sancto, non hominibus mentiti sunt. Ait Scriptura divina: *Si nolueris polliceri, absque peccato eris* (Deuter. 23.). Sanctus vero Augustinus in illa Psalmi septuagesimi quinti verba: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*; ait: *Quisque quod vovere voluerit, voveat: illud attendat, ut, quod voverit, reddat. Unusquisque Deo quod vovet, si respicit retrorsum, malum est.*

Dividitur votum in reale, personale, & mixtum. *Votum reale* est illud, quo aliquid Deo promittitur; veluti elemosyna, aut ornamentum aliquod Ecclesiæ. *Personale* illud est, quo opus aliquod personale Deo promittitur, veluti peregrinatio; aut operis alicujus omisio, veluti

Voti definitio, & divisio traditur. 587

veluti certam domum non ingredi, quæ occasio est peccati. Votum *mixtum* illud est, quod reale & personale complectitur; veluti si quis Lauretanam domum invisere, ibique eleemosynam offerre vovisset.

Verum celeberrima voti divisio est in simplex & solemne. Votum *simplex* est, quod secreto & solum coram Deo fit; veluti si quis orans Religionem ingredi voveret. *Solemne* illud est, quo solemniter corpus suum & libertas traditur in manus Superioris, qui Dei vicem gerit; quæ promissio publice ab Ecclesia accipitur. Hæc solemnitas ex Ecclesiæ institutione provenit, utilisque est cautio contra levitatem humanæ voluntatis, quæ cum adeo inconspiciens sit, freno opus habet, ut in proposito maneat. Extra controversiam est meliora esse opera, quæ ex solemnibus Religionis voto fiunt, quam quæ sine voto; hoc enim solemne votum propriæ voluntatis abdicatio est & obligatio, qua Deo fructus cum arbore donantur. Animadvertendum tamen est Dei amorem christianis operibus propriè pretium dare, illaque discernere; ita ut opus absque caritate ex solo voto factum non esset Deo æque acceptum, ac opus ex caritate absque voto factum; & ad legis fervilem spiritum potius pertineret, quam Evangelii spiritum, qui est spiritus caritatis. Hæc est sancti Augustini doctrina in libro de Virginitate; nec injuria statui religioso credenda est, qui interior status est, nec solum exterior, qualis in veteri lege Phariseorum status erat, qui vo-

votum suum fervili spiritu implebant. Votum est hominis Deo facta consecratio, & holocausti sacrificium. Porro christiani sacrificii ignis est amor; ideo inquit Apostolus: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (1. Cor. 13.).

CAPUT II.

Voti obligatio in examen vocatur.

Voti gravis est obligatio; unde Ecclesiastes ait: *Quodcumque voveris, redde, multaque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere* (Cap. 5.). Et sanctus Paulus de viduis post castitatis votum ad nuptias convolantibus ad Timotheum scribit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (1. Tim. 5.). Non igitur temere sed prudenter est vovendum; Deo enim fit promissio, qui severe promissa exigit.

Ut tamen gravis ex voto obligatio fluat, duo concurrant necessum est, nempe materiae gravitas, & voventis intentio saltem virtualis implicita, (prout Doctores loquuntur) sub gravi sese obligandi. Vovens siquidem vovendo ipse sibi privatam quamdam legem constituit: unde sicut ad gravem legem, ita & voti obligationem ista duo requiruntur (pag. 307.). *Gravitas* materiae tam a quantitate, quam necessitate, aut fine voventis petitur. *Intentio virtualis* in eo datur, qui juxta quod prius statuerat, postea nihil amplius de obligatione cogitans voveret. In-

tentio *implicita* tunc habetur, quando quis aliunde voti obligationem sciens, libere hic quidquam Deo promittit, quin expressam contrahendae obligationis mentionem faciat. Unde qui materiam gravem vover, nec tamen suam de obligatione intentionem exprimit, gravem obligationem, materiae respondentem, incurrit: qui in materia gravi sub levi tantum se obstringere expresse intendit, non nisi levem obligationem contrahit; qui denique ad pœnam tantum, facta voti transgressione subeundam, se obligare voluit, votum violando non peccat; ad pœnam tamen illam, prout illa gravis, vel levis fuerit, sub gravi vel levi adstrictus manet.

Quemadmodum voti obligatio, ita & obligationis *extensio*, & *tempus* a voventis intentione pendet; hinc si quis jejunium vovendo meram a carnibus abstinentiam intendit, ad hanc præcise ex voto tenetur, binaque refectio ipsi libera manet. Si mulier sub castitate Deo promissa continentiam a nuptiis intellexit; subinde actus venereos exercens contra castitatem, non contra Religionem peccat. Si juvenis non quamlibet, sed hanc Religionem, hocque monasterium ingredi vovit, ibi repulsam passus; alibi supplicare voti causa non tenetur; secus si seclusis hisce restrictionibus facta hæc vota fuissent.

Similiter qui certum in vovendo tempus sibi præfixit, antequam hoc terminetur votum exsolvere non tenetur, nisi forsan citius occasio opportunior se offerat, aut voti persolutio definita

nito

nito tempore omnino impedita prævideatur (a)
 Si vero nullum a vovente determinatum tempus
 fuerit; prima oblata occasione exsolvi votum
 debet; quia conditio hæc: *Quamprimum pote-
 ro*, implicite in quavis libera promissione invol-
 vitur, & in Deuteronomio dicitur: *Cum vo-
 tum voveris Domino, non tartabis reddere, quia
 requiret, illud Dominus Deus tuus, & si moram
 feceris reputabitur tibi in peccatum (Cap. 23.)*
 Quodsi tamen rationabili ex causa, puta ut po-
 stea commodius ac devotius fiat, dilata voti
 impletio fuerit, non erit, qui eam damnet.

Utrum autem ille, qui absque causa voti
 adimplerionem procrastinat, graviter, vel leve-
 ter peccet; ex circumstantiis & sequelis est de-
 sumendum. Si ex hac dilatione voti seu potius
 substantiæ promissæ diminutio sequatur, uti in

(a) Duplici modo intendi a vovente tempus po-
 test. 1. *Principaliter* tamquam fixus obligationis
 terminus, dum nempe res promissa mensi, heb-
 domadæ, diei alligatur, aut propter ipsum tem-
 pus v. g. Quadragesimæ, Vigiliæ, Festi vove-
 tur. 2. *Concomitanter* tamquam negligentia
 terminus, ne videlicet voti adimpletio nimium
 differatur. Qui primo modo vovit, illo tempore
 impeditum se prævidens non tenetur voti solu-
 tionem anticipare; neque culpabiliter omissionem
 postea supplere; quia obligationis adimpletio diei
 &c. est affixa, quemadmodum in Missæ auditi-
 one, jejuniis &c. ex præcepto Ecclesiæ faciendis
 patet; qui vero secundo modo quidquam Deo
 promisit; vel prævenire vel supplere voti solu-
 tionem debet; quia opposita hic ratio valet.

II. *Voti obligatio in examen vocatur.* 591

voto *Religionis, foundationis &c.* contingit, mortale, qui sic differt, peccatum committit. Idem dicendum, si ex dilatione periculum omissionis nascatur. Econtra si integra voti materia maneat, omissionis periculum, & contemptus absint, plerumque veniale negligentiae, ac socordiae peccatum a differente committitur.

Sed quid, votum dubium perinde ac si certum esset dubitantem obligat? Novi Casuistae eum qui de ipsa voti *substantia* dubitat, perdurante dubio in possessione suae libertatis, ac liberum a voto esse docent, eum vero qui solum de quibusdam voti accidentibus haesitat, adstrictum voto pronunciant. Ast vanas eorum cantilenas hic non moramur; sufficienter easdem protrivimus, dum statim in primo Tractatu (*pag. 33.*) in dubio tutius semper eligendum esse demonstravimus. Hinc qui examinatis utrimque motivis adhuc dubius de voti emissionem manet, observare votum debet, ne temere transgressionis periculo se exponat; qui de quibusdam voto adnexis haesitat, nisi aliter de intentione, aut ex circumstantiis praesumi possit, servare illa tenetur; qui denique de ipsa voti adimplerione dubitat, denuo ad eam obligatur; quia debitum certum non nisi certa ac liquida solutione diluitur.

Voti personalis obligationi per alios satisfacere nequit, votum tamen reale, vel mixtum secundum quod reale est aliorum interventu persolvi potest; ac saepe cum rebus seu bonis obligatis ad haereditates transit; qui tamen ipsi jam non

non ex voti Religione, sed potius ex fidelitate, & iustitia ad promissa præstanda obligantur. Quodsi reale mere accessorium ad personale sit, hæres ad nihil tenetur. Hinc si parens piam solummodo ad Domini sepulchrum peregrinationem vovit, filius hæres ad sumptus itineris haud obligatur, nisi sponte ad eos ipse se obstrinxisset; si vero notabiles oblationes illinc pater destinasset, onus istud ad filium transit, magisque quam cætera pia legata attendi debet (a).

CAPUT III.

Voti cessatio, irritatio, commutatio, dispensatio.

Sicut juramenti, ita & voti obligatio quadruplici modo tollitur, videlicet cessatione, irritatione, commutatione, dispensatione. De singulis adhuc pauca hic subnectam, quia pleraque supra (pag. 582.) de juramento dicta aptari voto possunt.

Votum

(a) Ut ista obligatio contrahatur requiritur 1. ut hæres adeat hæreditatem, 2. ut post soluta generalia tantum supersit, quantum voti realis per solutio exigit; quia vota sicut alia debita non nisi ex rebus a testatore relictis sunt solvenda. Porro de votis ipsi testamento insertis Jura decernunt (L. 32. C. De inoff. Test. lib. 3. tit. 28.), ea omnino irrita esse, si legitimæ præjudicent. Quæ Juris dispositio ad vota extra testamentum facta extendi nequit; quia (ut Billuart ait) parentes dum vivunt, sicut donis, elemosynis &c. ita & votis legitimam successorum minuere possunt, consequenter sicut ad alia debita ita & ad hæc vota hæredes tenentur.

Votum obligare cessat. 1. Si ejus materia adeo mutatur, ut ex meliore, & possibili, aut indifferens, aut majoris boni impeditiva, aut moraliter impossibilis efficiatur. 2. Si causa finalis, ob quam vovisti, deficiat. 3. Si tempus, pro voti observantia designatum, exspiret. Hinc si pauperi Cajo certam dare eleemosynam vovisti, hoc divite facto tuum de eleemosyna votum cessat, si domum in qua puella tibi perniciosa habitat, vitare vovisti, remota, aut mortua fœmina liber ad illam domum tibi ingressus patet. Si vovisti non nubere, contracto temere matrimonio petere & reddere debitum potes. Attamen sæpe contingit, ut materiae parte una impossibili reddita, pars alia possibilis maneat; sicque voti obligatio quoad unam; non alteram cesset: unde qui ad jejunium ex voto tenetur, si non a bina refectione, saltem a carnibus abstinere debet: qui centum Deo promisit, saltem decem, quos potest, offerre tenetur, nisi vovendo expressisset contrarium (a).

Voti

(a) Multa, quæ de obligatione legum supra (pag. 309.) sunt dicta, hic denuo relegere juvabit. Propositio num. 54. ab Innocentio XI. damnata, ibidem in Notis adducta, haud levatum hic, tum ibi dictis lumen affundit. Porro votum conditionatum, non purificata conditione, proprie non cessat, sed potius numquam obligare incipit. Quodsi vovens honestam voti conditionem vi, fraude, vel dolo impedit, voto tenetur, si secluso dolo illa certo secuta fuisset, aut verisimilius; nam alias vota ejusmodi illusoria forent,

Voti irritatio fit, dum ille, cui voventis voluntas, vel res promissa est subdita, contra promissionem præjudiciosam excipit, eamque prorsus annullat. Hinc Pontifex omnium fidelium, Episcopus diæcesanorum, Prælatus Religiosorum, pater filiorum, maritus uxoris, uxor mariti, Dominus servi, tutor pupilli irritare vota possunt; non tamen omnia, restricta siquidem horum jurisdictio est, certosque fines habet: irritari nempe hujusmodi vota possunt, quando cum illorum conciliari obligationibus nequeunt. Vota a Religiosis, & impuberibus facta, id est: a pueris ante decimum quartum ætatis annum, a puellis ante duodecimum (sive realia sint, sive personalia, sive mixta) a Superioribus, & parentibus eorum, aut ab iis, qui eorum vices gerunt, quales sunt avus, tutor &c. *directe* irritari possunt; hi enim sui juris non sunt, ipsorumque velle ab alio dependet: unde absque alterius consensu firma eorum vota nunquam erunt. Puberum vero & uxorum, vel maritorum vota tantum *indirecte* dirimi possunt, quia non voventium voluntates, sed res promissæ quandoque alteri subduntur; unde si vota hæc perennia sint, non tam irritationem, quam suspensionem admittunt, sublataque

forent, & fraus, dolusque voventi patrocinarentur. Hinc qui Religionem ingredi vovit, si pater consenserit; at postmodum ne ille consentiat, verbis captiosis ipsemet efficit, perinde ac si pater consensisset, voto obligatur. Ita Biliart, Antoine & alii.

que subiectione denuo eorum reviviscit obligatio (a).

Voti commutatio fit, cum priori obligationi alia substituitur. Omnia ubique vota commutare potest Pontifex; & quilibet Episcopus in sua diocesi, si quinque tamen vota excipias, videlicet Religionis, castitatis perpetuæ, peregrinationis ad sanctum Jacobum, Romam, & Jerusalem; hæc siquidem vota Papæ reservantur (b). Commutatio absque rationabili causa fieri non debet. Ut votum in melius commutetur,

(a) Inter directam & indirectam irritationem hoc intercedit discrimen, quod vota *directe* irritata non reviviscant; *indirecte* autem irritata cessante subiectione illico reviviscant, quia in his non voluntas, ut in illis; sed materia tantum voti alteri subiecta est: cessante ergo subiectione reviviscit obligatio. Ita Mariani.

(b) Ut hæc vota S. Pontifici actu sint reservata iuxta communem debent 1. esse *certa*, id est, non quoad substantiam dubia, 2. *absoluta*, vel statim a sui exordio, vel completa postmodum conditione absolutis aggregata, 3. *determinata* id est determinate circa materiam reservatam facta, si enim disjunctiva sint, unumque disjunctio- nis membrum materiam communem non reservatam contineat, uti *vel 30. diebus jejunare, vel Romam ire*, pro reservato non est habendum, quantumvis postea alterum membrum non reservatum per accidens impossibile fiat. Ratio istius limitationis est; quia reservatio ceu odiosa, & Episcoporum potestati præjudicans strictæ interpretationi est obnoxia, adeoque ad vota omni ex parte *perfecta* est restringenda; vota autem *dubia, conditionata, indeterminata*, quousque talia sunt, perfectis accenseri Doctorem opinione

rum, sola voventis petitio sufficit: ut in *æquale* major voventis devotio, aut major exequendi certitudo: ut in *imperfectius* seu inferius opus bonum, specialis in vovente difficultas, & ex fragilitate natum sæpius transgrediendi periculum attendi debet. Vota in favorem alterius facta postquam semel acceptata sunt, antequam ille libere consenserit, commutari nequeunt.

Voti dispensatio fit, cum Superior ecclesiasticus ex justa causa, Dei nomine & auctoritate voti obligationem relaxat. Hac dispensandi potestate Papa gaudet, eamque aliis, quibus vult, impertitur. Omnia quoque vota, excepta quinque Papæ reservatis, Episcopi relaxant. Imo emergente necessitatis casu in voto perpetuæ castitatis potestate ordinaria, aut saltem tacite ipsis delegata dispensant. Idque adhuc magis de voto castitatis non perpetuæ, vel non integræ, de voto videlicet virginitatem servandi, non nubendi, non fornicandi &c. verum est. Causæ rationabili dispensatio innotatur oportet. Nonnullas præcedente sectione de juramento agentes adduximus (*pag. 582.*). Dispensationem absque rationabili causa, vel cum causa falso delegata nullam ac irritam esse, in Tractatu IV. de legibus (*pag. 327.*) probavimus, adductaque ibi rationes fortius de voto, ac de quacumque humana lege stringunt (*a*).

SECTIO

haud merentur; sicque commutari ab Episcopis, aliisque Privilegiatis possunt.

(*a*) Cum sine legitima causa dispensatio non subsistat, causa vero ipsa anceps sæpe, ac dubia sit,

SECTIO III.

DE

FESTORUM SANCTIFICATIONE.

CAPUT I.

Dies Dominica Sabbato recte est substituta.

Tria famuli dominis suis debent. 1mo. Fidelitatem, quæ extraneum dominum colere non sinit, nec cum domini sui hostibus societatem inire: hoc Deus nobis primo Præcepto imperat. 2do. Reverentiam, quæ facta & verba complectitur: id secundo Præcepto servare nos
Deus

fit, in praxi rarus admodum dispensationis usus esse debet. Imo si de Confessariis privilegiatis videlicet mendicantibus, & iis, qui cum ipsis participant, sermo sit, eisdem omnino non tutum est in votis dispensare, utut commutare vota communia absque scrupulo possint. *Commutandi* enim facultatem PP. Jesuitis concessit Paulus III. in Bulla, quam exhibet Cassarubius in Compend. *Priv. Mend.*; concessit Minimis Sixtus V. in Bulla *Sedes apostolica* 5. apud Cherubinum, quam Gregorius XIII. ad vota etiam jurata extendit. At *dispensandi* privilegium innititur 1. Innocentii VIII. concessioni vivæ vocis oraculo factæ, quam proin Urbanus VIII. cum aliis revocavit. 2. Concessioni binæ, quam Eugenius IV. PP. Benedictinis Cassinensibus, & Valisoletanis fecisse fertur. Ast prima de dispensatione

Deus jubet. 3tio. Obedientiam, quæ exterior opus requirit: hoc tertio Præcepto Deus jubet, in quo Sabbati meminit, quæ dies ad Hebræos spectabat; Ecclesia vero diem Dominicam, alie ve Festa Sabbato substituit.

Sabbatum sanctificare Deus Judæis præcipit, ut hinc jugiter meminissent Mundi creationis, & exitus ex Ægypto, ut Terræ promissæ requie fruerentur. Erat etiam Sabbatum requiei figura, quam suo in sepulchro Christus habuit. Quemadmodum die seprimo requieuit Deus ab omni opere, quod pararat; ita post sex ætates Mundi futuri sæculi requiem hominibus Deus promittit; & servilium operum cessatione nos admonet, ut a peccato abstineamus, quo diaboli mancipia efficimur: denique requie, quam famulis dat, dominis mansuetudinem commendat, & ne famulos laboribus oppriment. Verum finis præcipuus, propter quem per tam rigidis Sabbati sanctificationem Hebræis præcepit, erat, ut ab ipsis ea die coleretur, & religionis opera exercerentur, quibus ab Ethnicis secerni possent. Ideo sic illos admonuit: *Videte ut Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos (Exod. 31.)*.

Plura

satione voti clare nihil continet: altera tot est restricta conditionibus, ut nec perpetua, nec alius communis videatur. Vid. Billuart *Tract. de Relig. Dissert. IV. art. 8. S. 4. Prop. 3.*

I. *Dies Dominica Sabbato recte est &c. 599*

Plura deinceps Festa præter Sabbatum habere Judæi veluti Festum Paschatis, Tabernaculorum, & Dedicacionis Templi.

Apostoli Sabbati diem in diem Dominicam sanctissimis ducti rationibus mutavere; nam Mundi creatio primo hebdomadis die cœpta est, eodem Dominus a mortuis surrexit, Spiritus sanctus in Apostolos descendit, & Ecclesia confirmata est.

Post Apostolos hic dies semper a fidelibus sanctus est habitus; qui eodem Ecclesiam adibant ad sancta celebranda Mysteria, ad verbum Dei audiendum, & ad orandum: nulla eo die servilia opera faciebant, sed ad alendos pauperes collecta fiebat. Veritum erat hoc die jejunium, neque hoc tempore fideles genuflectebant.

Ecclesiam immerito accusant hæretici, quod alia Festa instituerit; nam si Sabbatum, quod a Deo erat institutum, in Dominicam mutare potuit, quare non potuit nova Festa instituire, ut Christi mysteria celebraret, Sanctosque in cœlo regnantes coleret? Horum Festorum antiquitatem Ecclesiastica Historia, & plurimæ Græcorum, Latinorumque Patrum Homiliæ probant: cum verò Apostolus eos damnat, qui Neomenias, & Judæorum Festa celebrabant, ideo damnat, quia hæc ad salutem necessaria putabant, & Judaïsmum Ecclesiæ sociare volebant. *Nemo* (inquit Apostolus) *vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt in umbra futurorum, corpus autem Christi:* quæ verba christiana Festa

sta non afficiunt, quoniam hæc non umbra sunt, sed veritas.

Non omnes rationem sciunt, ob quam Ecclesia Domini Festa instituerit; neque passim hæc Fidelibus explicatur. Dei Filii mysteria singula peculiarem ipsis gratiam operantur; quique eorum testes fuerunt, hanc sunt consecuti. Hinc Pastores & Reges, qui Jesum in præsepulo adorarunt, ejus infantia gratiam acceperunt; item qui oblationi ejus in Templo, & super Calvarium interfuerunt, sacrificio huic participarunt. Verum quia pauci hisce mysteriis interfuerunt, quorum perpetua est gratia, ideo Ecclesia ad illa recolenda dies festos instituit, ut qui pie hos celebraverint, easdem gratias possint accipere, quas olim iisdem præsentibus consecuti. Pium est hoc erga fideles inventum, ut interiore dispositione corporalis presentia defectum supplere possint.

Quoad Sanctorum solemnitates, per eas quoque eorum gratias communicamus, si per dies istos agimus, & eorum virtutes nitimur imitari; sicut sanctus Augustinus ait: *Solemnitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

CAPUT II.

A quibus operibus die Festo sit abstinendum.

Festa ergo sunt sanctificanda, quod hodie duobus absolvitur; ab operibus nempe servilibus abstinendo, & sancto Missæ sacrificio interessen-

do. Circa servilia opera, duo operum genera sunt distinguenda. Eorum quædam sunt *spiritualia*, sic dicta, quia spiritus in his magis quam corpus operatur, veluti legere, scribere, docere, studere, concionari, disputare, & similia. *Corporalia* vero opera bifariam distinguuntur: quædam natura sua servilia sunt, veluti agros colere, aut quid hujusmodi agere; quædam autem natura sua non sunt servilia, videlicet vendere emere, iter agere, venari, piscari, musicum instrumentum pulsare, hisque similia; hæc siquidem opera nobilibus æque viris ac artificibus conveniunt. *Servilia* igitur opera ea proprie sunt, quæ temporale lucrum immediate respiciunt, quæque a famulis & artificibus passim fiunt.

Tria ex *spiritualibus* operibus Ecclesia die festo prohibet. *Primum* est causas agere, & quidquid ad judiciale forum spectat, & *cum strepitu judiciali* fit, ut Canonistæ loquuntur. *Secundum* est mortis, aut corporalis pænæ sententiam ferre, vel aliam, quæ cum strepitu judiciali fiat. *Tertium* est testium seu litigantium juramentum exigere, vel recipere (cap. *Omnes*, cap. *Licet*, cap. *Conquestus de Feriis*.)

Nequeunt Notarii die festo instrumenta, similesque actus condere, cum enim Canones emptiones, venditiones, aliosque contractus prohibeant, etiam eorum instrumenta condere censendi sunt prohibere; idque præterea in plerisque Dicecesibus, Statutisque synodalibus est veritum. Verum si hosce actus conficiendi

consuetudo ab Episcopo toleraretur, possent Notarii absque peccato hos actus condere, dummodo extra divinorum Officiorum tempus id fieret, & sine scandalo. Idem est dicendum, si publica urgeat necessitas, exempli gratia si de aliqua Consulari electione ageretur, aut si de publica & gravi re esset deliberandum, possent Acta conscribere. Necessitas quoque particularis æque urgens, gravisque esse posset, veluti transactio aliqua inter partes, quæ alio die convenire nequirent: hæc acta sine peccato posset Notarius conscribere.

Tonfores artem suam diebus Dominicis, aliisque Festis exercere magis, quam alio tempore, abusus est non tolerandus, quem a peccato consuetudo non excusat. Nos in nostra Diocesi hunc abusum expresse interdiximus sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ.

Quoad opera *corporalia*, quædam natura sua sunt indifferentia, veluti iter agere, venari, vendere, & emere; quædam vero periculosa sunt, quæ ad peccatum plerumque pertrahunt, videlicet ludere, choreas ducere, & cauponas frequentare. *Indifferentia* quædam opera die festo sunt permessa, dummodo Missa audiat, nempe iter agere, & juxta aliquos venari, & piscari; ego vero arbitror diem festum ab illo non sanctificari, qui diem venando aut piscando ageret; hujusmodi enim exercitia devotionis spiritum extinguunt, & a piis operibus aver-
tunt, quibus Festa christiane celebrantur. Quæ
ec) die Missa audiat, ut in adagio est, Missa
est

est venatorum, sæpe parum devote celebrata, & cui minori pietate assistitur.

Quoad emptionem & venditionem, duo sunt rerum genera, quæ venduntur aut emuntur: quædam eodem die consumuntur, veluti panis, vinum, carnes, fructus, & herbæ, quæ omnia diebus festis vendere & emere licet; sed merces illæ, cæteraque quæ eodem die non consumuntur, vendere nec emere licet, sicut præcipitur cap. *Omnes de Feriis*. Neque nundinæ, neque mercimonia festis diebus essent habendæ; quemadmodum in plerisque Diocesis per synodalia statuta cautum est.

Opera *periculosa*, videlicet publici lusus, choreæ, & cauponæ regiis Edictis divinatorum Officiorum tempore sub multa prohibentur; verum cum sæpius peccandi occasionem ista præbeant, satius esset eadem tempore quolibet prohibere.

Pistores, alique parantes victui necessaria, veluti coqui, possunt die festo operari, dummodo Missam audiant. Verum si in Festi, aut Dominicæ vigilia possint Pistores coquere, sic est faciendum; in plerisque etenim locis non ex publica necessitate, sed ex ignavia die festo operantur.

Messis, aut vindemiæ tempore, possunt fetgetes, & uvæ colligi, post auditum Sacrum, si Parochi, aut Episcopi licentia adsit; sed vera necessitas debet adesse, non ficta, ut sæpius evenit.

Artifi-

Artifices, quorum opera periret, aut vitaretur, si eam interromperent, possunt die festo cœptum opus continuare, dummodo Sacrum audiant; veluti si in carbonaria, aut in calcis fornace arderet ignis; artificibus non vult Ecclesia tam grave damnum inferre, quod illis eveniret, si ab opere cessarent.

Mulieres, filii, famuli, qui a dominis parentibus, aut maritis die festo laborare coguntur, si illis obediunt, non sunt a peccato immunes, quando opus in diei festi aut catholicæ Religionis contemptum præcipitur; verum si non ex contemptu, sed ex avaritia opus præcipitur, debent se famuli ab opere exequendo excusare, & hujusce actionis culpam dominis significare, a quorum servitio discedant, si vetitum opus jubere pergant. Quoad uxores, & filios, qui merito timerent se vexandos, nisi laborarent, & revera vexantur, possunt aliquamdiu laborare, dummodo de vi conquerantur, nec Missæ interesse illis vetetur; secus mala quælibet a marito vel parente potius essent toleranda, quam mortale peccatum patrandum.

Si familia aliqua extrema necessitate laboraret, & diurno labore viveret, quando plura sibi succedentia occurrunt festa, possent qui de familia sunt laborare, dummodo id clam fieret, & absque scandalo (a).

(a) Nædum in extrema, aut gravi necessitate, sed juxta arbitrium quovis die festo dummodo scandalum absit, servilia opera fieri absque peccato posse

II. *A quibus operibus die Festo fit &c.* 605

Possent quis sine peccato die Festo laborare, si per breve exiguumque tempus id ageret. At non conveniunt Doctores in hac temporis determinanda quantitate. Aliqui docent duas horas esse tempus notabile, alii vero ajunt horam unam notabile esse temporis spatium.

Festorum violatio est communius rusticorum peccatum, & quod magis impunitate gaudet in Gallia, ubi politicae causa Judices laici hujusce delicti cognitionem sibi arrogant. Non ita sub prima Regum nostrorum stirpe fiebat; nam in tertio Aurelianensi Concilio, anno Domini 537. habito, canone vigesimo octavo de diei Dominicæ celebratione ita legitur: *Quod si inventus fuerit quis in operibus supra scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.* Edictum quod post secundum Matisconense Concilium Rex Guntramnus anno 585. edendum curavit Christiano Rege dignissimum est, & omnibus in Ecclesiis insculpendum esset.

Suos igitur populos Parochi monebunt, hoc peccatum directe Deum lædere, virtuti siquidem Religionis adversatur. Quemadmodum autem sacrilegium committeret, qui vas altaris sacrificio consecratum violaret, ita sacrilegium est laborando diem violare Deo dicatum, qui reli-

posse nonnulli docuerunt, quorum opinionem hac in propositione Innocentius XI. damnavit: *Præceptum servandi Festi non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.* Num. 52.

reliquos hebdomadæ dies ad laborandum hominibus tribuens, aliquos suo peculiari cultui potest reservare. Neque vero Deus operibus illis benedicit, quæ die festo, licet sint verita, fructu hinc tempestates, grandines, & fames proveniunt. Denique in veteri lege Sabbathum violans morte plectebatur, quæ maxima est pœna, et mortale peccatum, quod Festi violatione committitur, illudque sequens æterna damnatio, supplicium est longe amplius formidandum. Ingentia & rara narrat historia supplicia, quibus hoc Deus peccatum punit: ingentia quoque & eximia leguntur in historia beneficia, quæ festi rite colentibus Deus largitus est. Constantinus magnus, & duo Theodosii mira suis subditi pietatis exempla dabant Templâ visitando, locasque fundendo preces.

Ab hoc pietatis spiritu vehementer abest novus quidam Casuista docens, non esse peculiariter vetitum die festo peccare & Deum lædere, nec peccata esse opera servilia, & solum metaphorice peccatorem peccati servum vocari. Ita ne est explicanda Christi sententia, qui ait: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. 8.)? Si metaphorica est ista servitus, Christus igitur metaphoricus tantum est Redemptor; quia non eos proprie redemit, qui proprie servi non erant (a).

Absur-

(a) Quia (inquit S. Thomas 2. 2. Q. 122. art. 4. ad 3.) magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit

Aquibus operibus die Festo fit &c. 607

Abfurde pariter docet, licitum esse discedere a loco, ubi Festum de præcepto celebratur, & ad alium pergere, in quo Festum illud non servatur, servilis operis exercendi gratia. Nonne enim Ecclesia sic contemnitur, & si fieri posset decipitur, quæ vult a fidelibus in singulis parochiis Festa servari?

Captiosam aliam rationem alius docet Casuista, infidelibus videlicet famulis uti, veluti Mauris, aut Turcis, quos ad laborandum destinare licitum putat; quasi non ex Domini præcepto isti Festum violarent.

CAPUT

corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Et S. Augustinus ait: *Spiritualiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid enim est ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati (Tract. 3. in Joann.)*. Hinc est, quod varia Concilia, cum in diebus Festis homines ad peccandum promptiores cernerent, Festa multa abrogarint. Patribus in Concilio Trevirensi anno 1549. congregatis *Operæ pretium visum est, Festorum numerum contrahere, quo & effrænes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum.* Sequenti sæculo, anno videlicet 1649. Urbanus VIII. Constitutionem edidit, qua nædum Festorum numerum apostolica Auctoritate minuit; sed & Ordinarios monuit: *Ut ad ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum Festorum studeant abstinere.*

CAPUT III.

Quomodo Missæ interesse debeamus.

Festorum sanctificatio tota hodie Missæ tantum auditione pene absolvitur. Præcipuus sane hic est cultus, qui Deo tribui possit; in Missa enim Deo Filii sui corpus immolatur, sed non hoc solo diebus Deo penitus dicatis ille est colendus, verum orationibus insuper piisque aliis exercitiis.

Novi Casuistæ tam absonas, imo impudicas opiniones circa modum audiendi Missam docent, ut pene sint incredibiles. Quidam illorum docet, Missam ab aliquo audiri posse, si quatuor eodem tempore Missæ partes audiat, postremo imo Missæ partem ante primam audiri posse, & Turriani auctoritate nititur; quia iste quoad substantiam præceptum implet, cuius solum ordinem invertit. Alius docet, illum præcepto satisfacere, qui Ecclesiam ingressus duas Missæ partes a duobus Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus audit (a).

(a) Laxitatem istam Innocentius XI. e scholis catholicis eliminatam voluit, dum hanc num. 20. damnavit propositionem: *Satisfit præcepto Ecclesie de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Cæterum successiva diversarum Missæ partium auditione & coadunatione ecclesiastico præcepto satisfieri nædum quidam Casuistæ, sed & nonnulli Cathæchetici in libellis pro plebe compilatis adhuc hodie absque scrupulo docent; sed quem

Quomodo Missæ interesse debeamus. 609

Audacius adhuc Casuista quidam progreditur, nec asserere erubescit, illum, qui ad Missam audiendam pergit, ut impudice fœminam aspiciat, Missæ auditionem cæteroquin omisurus, audiendæ Missæ præcepto satisfacere, etiamsi expressam non satisfaciendi intentionem habeat. Ratio, qua hæc paradoxa tuentur, est, quia Ecclesia exteriorem solum actum interessendi Missæ imperat, cum interiores intellectus & voluntatis actus jubere non possit. At ignoratne hosce actus a Deo præcipi, & posse Ecclesiam Dei præcepta declarare? Omnes enim christianæ Religionis actus interni magis sunt quam externi, & per hoc a judaicæ religionis actibus distinguuntur, qui externi erant. Inter Christianæ Religionis actus Missa excellentissimus est & sanctissimus; in Missa enim Christi corpus Deo Ecclesia offert, & cum illo se ipsam: *tam ipsa per*

in finem, quove fructu, haud video. Vel enim illi, qui secundæ Missæ primam solum seu mediam partem audiunt, quo minus parti posteriori assistere queant, iusta causa, e. g. gravi incommodo, damno, metu &c. impediuntur, & sic juxta dicta de legibus (pag. 308.) a legis observantia hic & nunc legitime excusantur, ac vano isto solatiolo non indigent: si vero carnali commoditate, & acedioso tædio avocantur, tanquam servi pigri lenimento hoc prorsus indigni sunt. Quodsi tamen quis hunc Missam audiendi & satisfaciendi modum veluti *dubium* in solo necessitatis casu, quo *certa* fieri satisfactio nequit, practice eligeret, vel aliis suaderet, provide omnino, ac laudabiliter ageret.

Godæu Theol. Mor. Pars I.

Q 9

per ipsum (inquit sanctus Augustinus) *quam ipse per ipsam.* Porro quomodo fidelis quisque qui membrum Ecclesiæ est, offerre se Deo potest, si ad id, quod agit non attendat, nec hinc velit sacrificio interesse? imo dum illud Deo offertur, cor suum diabolo immolat desideriis impudicis, quæ fovet, turpibusque cogitationibus, quibus assentitur. Quamvis exterius suum profiteatur obsequium, nonne Deo illudit, atrocemque illi injuriam infert, dum se adorantem simulat, & revera vehementer contemnit.

Optime cum sancto Antonino (2. part. tit. 9.) & Navarro (cap. quando not. 13.) ait Suarez (disp. 83. sect. 3.), ad implendum præceptum ejusdem implendi voluntatem esse necessariam; quia præcepti adimpletio est actus obedientiæ, qui sine voluntate fieri nequit. Oportet igitur, ut cum voluntate audiendi Missam non adsit formalis voluntas contraria præcepto; hic enim actus præcepti impletionem impediret, quia illi non obediretur. Hominis etiam exemplum affert, qui die festo Missam ex devotione audiens hunc interiorum actum eliceret: Nolo hac Missa præcepto satisfacere; & ait hunc revera non satisfacturum (a). Ad id tamen, quod si aliquis Missæ interesset cum intentione aspiciendi mulierem, dummodo sufficienter ad Missam attenderet, nec voluntatem satisfaciendi præcepto excluderet, illi satisfacere;

(a) Videantur dicta pag. 310. & 311. una cum subjuncta Nota.

III. *Quomodo Missæ interesse debeamus.* 611

ret; non tamen dicit quod quidam Auctor eum dixisse asserit, quia de simplici visu loquitur, non de impudicis erga mulierem desideriis, aut delectationibus. Nihilominus si hic aspectus toto Missæ tempore hominem detineret, & a debita attentione averteret, quis asserat hunc præcepto satisfacisse? aliud enim quam corporalem præsentiam, & externam reverentiam sacrificium postulat. De his potiori jure quam de Judæis ait Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isaia 29.*).

2. part.
t. 13.)
olendum
em esse
est actus
nequit.
i Mil.
ia præ-
ationem
ominis
flam et
n elicit
ere; &
Addit
cum in-
o suffi-
ntatem
tisface-
ret.
a cum

Attentio debet pia esse, & ad Deum dirigi. Ratio est, quia Ecclesia Missæ auditionem jubens, actum humanum, & moralem præsentiam jubet; humanus autem nequit esse actus, nec præsentia moralis, quando nulla adest attentio. Nec tamen sufficit humanum esse actum & moralem, oportet insuper, ut pius sit, & ad Dei cultum spectet: quomodo vero Deum ille honorat, cujus animus ad aliena penitus distrahitur, nec de Deo ullatenus cogitat?

Sanctus Thomas de vocali oratione loquens ait (2. 2. *quæst.* 43. *art.* 13.) triplicem esse attentionem, 1. ad verba; 2. ad verborum sensum; 3. ad Deum. Hoc in audiente Missam considerare licet, nam attendere potest ad verba a Sacerdote prolata, & ad sacras, religiosasque actiones, quas ille peragit: hæc autem attentio est omnium infima, sed ad implendum præceptum sufficit. Secunda attentio, quæ ad verborum sensum progreditur, est nobilior; quia

Q 9 2

quia non solum præcepti substantiam respicit, sed finem etiam ejus attingit, qui est Christi passionis, & Dei beneficiorum commemoratio: non tamen hæc ad præceptum implendum est necessaria, hæc enim paucorum est; quamvis quilibet possit & debeat Christi passionem & mortem Missæ tempore confuse saltem meditari, & ab illo christiane vivendi gratiam petere. Tertia attentio, quæ cæteris antecellit, Missam audientibus est suadenda, & ab his summo studio curanda, ut sacrificii fructum obtineant, & vere Deo se offerant, juxta instituti sacrificii finem. De hoc nos Ecclesia admonet hinc Præfationis verbis: *Sursum corda*; quæ cordis elevatio docet, a creaturarum nostrique amore esse cor abstrahendum, & Deo penitus dicendum. Quomodo igitur qui pravis cogitationibus & desideriis plenum cor habent, & ad hæc sacrificii tempore incumbunt, Ecclesiæ præceptum implere possunt, ut novi quidam Casuista aliterunt?

Postrema hæc attentio, quæ ad implendum præceptum non est necessaria, omnes reverentie & cultus actus complectitur, precesque omnes ac petitiones, quæ Deo offerri possunt; interdum etiam ad contemplationem, & extasim progredi potest, quibus ad verba & cæremonias attentio impeditur, & uni Deo mens mirabiliter adhæret; hinc tamen minime fieret, ne impleretur præceptum. Porro hoc valde distat a voluntaria spiritus evagatione & dissipatione, & ab ejusdem adhæsiōne vanis pravisque cogitationibus.

III. *Quomodo Missæ interesse debeamus.* 613

rationibus, cum quibus novi quidam Casuistæ docent satisfieri posse præcepto. His laxitatibus antiqui omnes repugnant; veluti Sylvester (v. *Missæ qu. 6.*), Navarrus (*in Sum. c. 13. & 21.*), Cajetanus (v. *Fest. violat.*), Suarez (*loco cit.*) & Toletus.

Verum quoniam pluribus vagationibus humana mens subjacet, actualis attentio ad totam Missam non est necessaria; ideo involuntaria distractio non impedit, quin præcepto satisfiat. Melior audiendæ Missæ modus est mentem ad ea advertere, quæ dicit, agitve Sacerdos, secus enim actioni non jungimur, qua Ecclesia Deo sacrificium, illique assistentes offerunt. Operat Tridentina Synodus, ut ii *communicent*, qui Missæ interfunt, illosque hortatur, ut *spiritualiter* id agant. Quomodo autem spiritualis hæc communicatio cum voluntariis pravis desideriis & cogitationibus convenire potest?

In Missa, ut diximus, Christum Ecclesia offert, Christusque Ecclesiam. Assistentes igitur sunt quodammodo sacerdotes, nec eorum dispositio a celebrantis dispositione valde debet differre, ut sacrificii fructum participant. In Canone Deum Sacerdos orat, ut Angelum suum mittat, qui sacras oblationes supra altare sublime suum in Divinæ majestatis suæ præsentiam deferat: hæc autem oblationes sunt assistentium animæ, quas offert Sacerdos cum immaculata Hostia, quæ in cælum ab Angelo deferri non indiget, nec tamen ab iis separatur, quibuscum Deo offertur. Potior ratio, propter quam Ecclesia

Dominicis festisque diebus fideles Missam audire iussit, est, ut Deo tunc se offerant, & cum Dei filii corpore Deo oblati, supremo Domino debitum honorem tribuant. Hinc æstimare licet, quomodo Ecclesiæ præceptum impleant, qui dum Missæ interfunt, prava desideria turpesque cogitationes fovent; sicut novi quidam Calvini docent.

CAPUT IV.

Pœnæ canonica contra Festorum profanatores statuta.

Vetus Ecclesia rigide admodum Festorum violatores puniebat; pretiumque operæ festorum me arbitror, si pœnitentias referam, quibus hoc illa peccatum multabat.

Opera servilia diebus Dominicis Festisque exercens pane & aqua triduo jejunabit (*Burchard. l. 19.*).

Qui die Dominica absque necessitate equo vel cymba iter peragit, pœnitentiam ager septem diebus (*ex Pœnit. antiquo.*).

Qui ante Ecclesiam die festo saltabit, emendationem promittat, pœnitentiam ager tribus annis (*Pœnit. Rom. t. 7.*).

Si quis post prandium Missam audiat, triduo pane & aqua jejunabit (*Burchard. l. 10.*).

Si quis divinorum Officiorum tempore in Ecclesia garriat, decem diebus pane & aqua jejunabit (*idem l. 19. de irrev.*).

Si quis Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis festa extra domicilii sui locum sine causa celebrat,

brat, decem diebus pane & aqua jejunabit (*idem de Sacrament.*).

Felicia hæc tempora abiere, quibus sancta hæc disciplina ad amissim servabatur, cum Christiani optime norant, quam sit abnorme Festa violare, & pœnitentiis, si quando errabant, se humiliter subiciebant. Si Confessarii pœnitentes suos ad has ferendas pœnitentias non aptos judicant, eas moderentur; sed caveant, ne tam leves pœnitentias imponant, quæ ad peccantium emendationem parum aut nihil conferunt.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

